



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Centvriæ Selectorvm Casvum Conscientiæ. I. II. III.tia**

**Burghaber, Adam**

**Fribvrgi Brisgoiæ, 1665**

67. Pavsilippvs Emphyteuta licet elapso triennio non soluerit canonem Domino suo, non potest tamen iste rem emphyteuticam ingredi, & illum expellere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40942**



vt. & alijs distinguendo. Si Papius grauem  
sentiat difficultatem in saluatione & alijs si-  
gnis beneuolentiæ exhibendis, cogi eum non  
posse ad ista præstanda, cum nõ teneatur cum  
tanta difficultate salutem inimici procurare:  
Verum si Papius non adeo molestum accidat,  
illa præstare, obligari eundem. Quia bonum  
spirituale inimici, sicut & cuiuslibet proxi-  
mi, procurare debet etiam cum aliquo suo in-  
commodo, aliàs non esset nobis præceptum  
Exodi 23. *Leuare asinum inimici iacentem sub  
onere, & Prou. 25. esurientem inimicum cibare.*

Ad rationem in oppositum dicimus,  
eam intelligendam esse iuxta datam di-  
stinctionem, quod etiam sentit Layman l. 2.  
tr. 3. c. 4. n. 2. aiens, illam esse veram, per se  
loquendo; quia si ommissio illorum signorum  
scandalosa esset, aut per aliquid eorundem  
posses sine tuo incommodo inimicum tibi &  
Deo reconciliare, id ommittere, foret graue  
peccatum.

LXVII. Pausilippus emphyteuta elapso trien-  
nio non soluit canonem domino suo, qui idcirco  
propria auctoritate rem emphyteuticam ingredi  
nuitur, quod aduertens emphyteuta ad resisten-  
dum se parat, prius tamen ea de re Confessarius  
consultit. *Quaritur. Virum dominus canone post  
triennium non solum possit propria sua authorita-  
te rem emphyteuticam ingredi: & inhibere debeat  
Confessarius emphyteutam à resistencia parandam*

X 2

Videtur



Videtur posse. Ita Minsinger *Cent. 3. obseruat. 65*. Molin. *D. 453. circa fin.* Tanner *Tom. 3. D. 4. q. 7. n. 168.* Layman *l. 3. sect. 5. Tr. 4. c. 23. n. 8* & alij. Mouentur. Tum *l. 2. Cod. de iure emphyteut.* vbi ipsi domino conceditur, vt possit expellere emphyteutam non soluentem canonem. Ergo signum est, officium Iudicis non requiri. Tum quia dominus civilem habet possessionem rei emphyteuticæ; Ergo potest hanc ingredi, ac naturalem possessionem ab alio iniuste occupatâ repellere.

Resp. Dominum proprietarium canone post triennium non soluto non posse ingredi rem emphyteuticam: ad eòq; nec Pausilippū ex consilio Confessarij posse licite eidem se opponere. Ita Rebellus *de obligat. iustit. part. 2. l. 13. q. 12.* Palao *de iustit. Tr. 32. D. 10. p. 10. n. 2.* & alij ab his relati. Probat. Tum quia lex concedere nequit proprietario facultatem expellendi emphyteutam, nisi constet certò, hunc *in Commissum* incidisse, quod tamen vix vnquam potest; quid enim si ignorantia, vel legitimum impedimentum excusarit? Tum quia expulsio hæc, etsi sit conditio contractus emphyteutici, sapit tamen pœnam criminis commissi, quæ ante sententiam Iudicis sustineri non debet.

*Ad 1. in contrarium* dicimus, legem illam intelligendam esse subsecutâ Iudicis declaratione. *Ad 2. concedimus totum; negamus*  
verò



verò emphyteutam iniuste obtinere possessionem naturalem; nam tamen iste jure ipso priuatus sit post declaratam domini voluntatem, ut tamen hæc priuatio in executionem veniat, accedere debet sententiâ Iudicis declaratoria; interea autem iuste possessionem tenet, nec ab habente possessionem ciuilem repelli potest.

LXVIII. *Persius Sacerdos iter faciens diuertit in via ad templum aliquod sacrificaturus; sed intelligit ex Parocho loci omnes sacros calices nuperime fuisse furtim ablatos, & defacto alium non adesse, quam recens allatum ab aurifabro & nondum consecratum; ille non obstante hoc Sacrificium in isto peragit, statimque iterum discedit.*  
*Quæritur 1. An & quomodo Persius vtendo hoc calice nondum consecrato peccauerit? 2. An idem calix hoc ipso iam sit consecratus?*

Videtur calix ex eo quod iam Sacrificium diuinum in ipso sit peractum, nondum consecratus. Ita post Nauarrum, Azor, Layman, Fagundez & alios Card. de Lugo de Euch. D. 20. s. 4. n. 91. Dicastillo de Sacrif. Missæ. D. 46 n. 198. & Arriaga de Euch. D. 55. n. 13. vbi ait, hoc omnino esse certum. Tum quia ex sac. Canonibus & Ecclesiæ vsu habetur, calicem sacrificio diuino peragendo aptum & legitimum non censerî, nisi ab habente potestatem ad id deputatum & consecratum. Tum quia sic contra communem aliorum DD. multa